



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

21. B. Aloysius Gonzaga S. J.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum B. Aloysii Gonzagæ ex  
Inclÿta Societate Jesu Angeli secun-  
dum carnem.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**Cce! fugit à Marchionatu! Deserit  
amicos & parentes innocens Aloy-  
sius. Fugit, ut solus esset cum solo Je-  
su. O fugam saluberrimam! O fugam  
& nobis apprimè necessariam! qui mun-  
dum, & consanguineos diligit, jam  
cor suum inter Deum, & carnem divi-  
dit. O iniquam divisionem!

*Instructio meritoria.*

Renovatio votorum sic unio nostro-  
rum cordium. Addamus & *Te Deum*  
*Laudamus* pro gratia vocationis. Op-  
tima vocationis probatio, fidelis voto-  
rum executio.

II.

**B**Aloysius (verè anima Deo devota  
& cœlo!) Septennis adhuc pue-  
rulus flexis quotidie genibus septem,  
psalmos pœnitentiales cum officio Bea-  
tissimæ Virginis persolvit. O quàm  
sanctè vivere incipit, qui à pœnitentia,

R 2

&



& Maria vitæ ducit exordium ! Si nec-  
dum ita inchoavimus, hodie statuamus.  
Amor enim otiosus, vel morosus non  
est!

*Instructio meritoria.*

Hinc coram icone Beatissimæ Virgi-  
nis officium minus de Immaculatâ Con-  
ceptione quàm ferventissimè perfolva-  
mus. Sic tu nos visitas, qualiter re-  
colimus.

III.

**O** Fili ! quid lego ? Vix decimum  
tertium attigit annum B. Aloysius.  
ter in hebdomade pane, & aquâ jejunat-  
bat. Deficiente ciliciò, equorum ute-  
batur calcaribus, & quolibet die diviti-  
flagellis desæviit in suum & virgineum  
& innocens corpusculum. O nos deli-  
catos ! ò nos timidos carnis nostræ ho-  
stes, & inimicos. O mirum ! si præva-  
leat, & anima sub tyrannide vivat. Ve-  
rùm per merita Juvenis tam sancti

*Instructio meritoria.*

Dirumpamus vincula, & S. rigores  
quæramus, statuentes Feriâ VI. vel in  
die Sabbathi jejunium nocturnum

Mul-



Multiplicare abstinentias si placuerit, frater erit B. Aloysii, & socius ad gloriam. Mortificatio ut regnet in omnibus membris. addamus *septem psalmos pœnitentiales*. Non differamus! propria exigit salus.

Festum S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**anctus fuit S. Baptista in nativitate, sanctus in vita, sanctus in morte. O quot gratiæ in hoc parvulo! O fili! innocentiam amemus, pro puritate omnia impendamus, & certè Dei gratia semper manebit nobiscum.

*Instructio meritoria.*

Sanctè ut vivamus, & moriamur, S. Joannem Baptistam in Advocatum pro hora mortis nobis eligamus, hujusque in venerationem diem Martis singulari pietate recolamus, recitando *novem Pater & Ave*, in honorem novem mensium, quibûs quievit sub utero Matris. Gaudeamus in Nativitate S. Joannis Baptistæ! Gaudeamus! sed in Domino!

R. 3

II. Na-